ELLANEE
R. B. BIBLIOTECA NAZIONALE DI FIRENZE
7149
7149.31

REVERENDISSIMO D. D.

CHRISTOPHORO CATTANI

DECURIONI ALENSI

FAUSTUM QUINQUAGESIMUM

SACERDOTII ANNUM

PERAGENTI

EJUS NONNULLA CARMINA

PIGNUS AMORIS ET REVERENTIÆ

SUBIECTUS CLERUS

LÆTUS EDIT ET OFFERT

ALÆ TRIDENTINÆ

ID. JUN. AN. MDCCCLXXXVI

ALÆ
TYPIS FILIORUM MARIÆ
1886.

REVERENDISSIMO D. D.

CHRISTOPHORO CATTANI

DECURIONI ALENSI

FAUSTUM QUINQUAGESIMUM

SACERDOTII ANNUM

PERAGENTI

EJUS NONNULLA CARMINA

PIGNUS AMORIS ET REVERENTIÆ

SUBIECTUS CLERUS

LÆTUS EDIT ET OFFERT

ALÆ TRIDENTINÆ

ID. JUN. AN. MDCCCLXXXVI

ALÆ

TYPIS FILIORUM MARIAE

1886.

PROPRIETÀ LETTERARIA

PRÆFATIO

Exoptatum hunc lætabunda diem Ala saluta
Et vove Pastori fervida vota tuo.
En ipsi completur quinquagesimus annus
Ex quo offert sacra munera Diva manu.
Vere Christophorus, Christi legem ore facundo
Nunciat et factis comprobat Ipse suis.
Donorum Christi prudens fidusque Minister
Divinis pabulis pascere curat oves.
Civibus et plebi verum se præstat amicum
Semper et afflictis auxiliator adest.
Non scabra curarum fastidia neve labores
Assiduos plenum pectus amore timet.
Dicere plura vetas, o nobis optime Pastor
O patrii Cleri Tu decus eximium!

Salve, Christophore, atque ad longum temporis
Sanus vive Tibi, pro grege vive tuo. (ævum
Nam tua nos lætos reddit veneranda senecta
Retrahit a malis, ad benefacta movet.
Quemque Tibi Alenses audent deferre libellum
Sacrorum Socii, Tu, bone, sume favens.
Exiguum est donum: at grandis reverentia mentis,
Grandis nostra Tuo corda revincit amor.
Quod damus imo tuum est. Placeat devotio Cleri
Ducere si placuit carmina casta Tibi.

CARMINA

DE S. CAROLO BORROMÆO

QUI INEUNTE OCTOBRI ANNI 1565

ALÆ TRIDENTINÆ DIVERTIT.

ODE.

Quod domus struxit generosa quondam
Cernis exultans hodie Sacellum,
Caroli festum méminit Beati
Præsulis almi.

Maximo Divi studio peracta
Jam fuit splendens Synodus Tridenti;
Ipse devote populum suavi
Visit amore:

Principes binæ Ducibus jugandæ
Alpe labuntur: volét ut Tridentum
Pontifex jubet, subitoque currat
Obvius illis.

Aspicis Papæ docilem Nepotem
Sacra linquentem celerare cursum:
Jam videt montes, Athesisque vallem
Scandit apricam.

Friget autumnus pluviis molestus;
Carolum, magna comitante turba,
Ala prudentem jubilans recepit
Hospita Sanctum.

Ecce Plebanus pius Inverardus,
Obviat, Grestus, Malefactus, adsunt
Burrius, Piccinus, et ex vetusta
Gente Thadhejus.

Quisque Legatum veneratur, omnes
Angeli frontem taciti videbant,
Qua velut fulgens radius coruscat
Integra virtus.

Lætus insignes subiit paratas
Hospiti Sedes, referensque grates
Corde commotus benedixit illis
Civibus Alæ.

Mane consurgens charitate flagrans
Sacra devote peragit colenda:
O domus felix celebrata semper
Præsule tanto!

Dulce tu nosti vetus o sacellum
Carolum sanctis epulis refectum!
Postea orantem, strenue, Sabaudum,
Qui fugat hostes.

Hac die Sancto paries dicatus
Veste festiva, rogo te, decora,
Ut sit Alensis populi Beatus
Mite levamen.

IN TRANSITUM
S. S. PII P. IX.

FACTUM VII. FEBR. JD. 1878.

ODE

Nuncio mœrens tremit orbis, atras
Induit vestes, lugubri cupressu
Templa velantur: monitum doloris
Fila dederunt!

Cessit heu fato Pius! Inferorum
Turma blasphemos vomit ore cantus,
Plaudit insanus probitatis hostis
Ante cadaver!

Monstra discedant! procul hinc profani!
Quisquis illudit populo dolenti
Migret ad Thraces, habitet profunda
Antra ferarum.

Quis potest siccis oculis videre
Justa Pastoris, viduumque Ovile
Dum lupi immites ululant? tremendum
Dum fremit æther?

Ecce Nauclerus requievit almus,
Horridæ malum feriunt procellæ!
Nonne lugendum? pavor ima cordis
Nonne secabit?

Quid times? Caulam Domini potentis
Crede servandam, pelagoque cimbam
Nesciam mergi: tamen hoc dolorem
Auferet unquam.

Sanctus excessit Fidei Magister,
Qui Paracleti vicibus docebat!
Maximus Præsul super astra scandit!
Plangite gentes.

Christe Pastorum decus atque merces,
Dum Pium terris adimis locandum
Inter æternæ choreæ Beatos,
Respice Sponsam:

Terge manantes lacrymas creando
Quod sit Extincto simile aut secundum;
Pondera mundi miserans pericla
Parce scelestis.

IN MORTEM

CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI

BENEDICTI RICCABONA

A DIVITE RUPE

EPISCOPI TRIDENTINI ET PRINCIPIS

QUA SANCTE QUIEVIT

PRIDIE KAL. APR. MDCCCLXXIX.

ODE

Ergo fatalis properavit hora!
Deficit languens Benedictus! astra
Suspicit, lethi placido sopore
Lumina claudit!

Aera funebri sonitu Tridenti
Corda proscindunt, gemitu resultant
Plana, convalles, patulosque montes
Luctus inundat.

O chelys tanta tremefacta clade
Plange Pastorem, lacrymisque honora
Dulce surrepti, Domino jubente,
Nomen amici.

Inclitas nunquam celebrare tentes
Præsulis laudes: Genii faventes
Inferant illi meritos honores
Carmine digno.

Ecce vix terras Animus relinquit,
Præpotens Judex: Bone serve, clamat,
Euge! in æternum viridantis horti
Cinge coronam!

Dura vis morbi leviora cœna
Diluit cordis, velut ignis aurum
Tergit, ut portas Tibi pandat alta
Regia cœli.

Nunc Sacerdotes tumulo recondant
Victimam longi cruciatus almam;
Voce funesta, Requiesce, cantent,
Corpus inane:

Sed Fides sacrans gelidum sepulcrum
Imperat fortis: Tege, marmor, artus,
Qui reformati radiante vincent
Sidera luce.

Squallidi, o salve, pater indigentis,
Mite lenimen lacrymantis, ardens
Infulæ lumen, Benedicte, Christi
Splendor ovilis!

Lucis et pacis solio potitus
Sis memor, quæso, gregis, atque sanctum
Mitte Pastorem, viduata Sedes
Mœsta precatur.

AD CELSISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

D. D. IOANNEM DELLA BONA

EPISCOPUM TENEDI I. P. I. ETC. ETC.

ELECTUM EPISCOPUM

TRIDENTINUM ET PRINCIPEM

ODE

Sancti Concilii fulgida Civitas
Exulta! resonent pectore jubila!
Qui Christi vicibus fungitur inclytis
Pastorem dedit optimum.

Te novi pueros inter amabiles
Lustrantem vigili mentis acumine
Scholas, heu nimium flatibus horridis
Actas, ceu ratis Æolis!

Divinans animus, Te fore Præsulem,
Portendit mihi tunc: protinus advola,
Cum clero populus Te vocat; arripe
Ad notos iter incolas.

Veni! sed viridem dextera perferat
Frondem, quæ pavidæ splenduit ex avis
Rostro, Navigium montis inhospiti
Cum sospes juga contigit.

Tellurem [illegible] sanguine Magyarum
Praeclaro [illegible] vellere gramina
Planta [illegible] flumine convenit
Vinum fundere [illegible]

[illegible] Domine [illegible] omnibus
Provinciis, patiens [illegible] et argue
Doctrina [illegible] et [illegible],
[illegible] Pauli [illegible] implens

Praeceptor [illegible] et Pater omnium
Festina, Medicus vulnera balsamo
Siccato, teneros dilige filios,
Factis voceque concita,

Ut quaerant [illegible] caelica gaudia
Certent [illegible] ponere terminum,
Et corde impavido, menteque conscia
Christum discere gestiant.

Te longa maneat [illegible]
Sic vitae meritis praemia tribuat
Princeps imperii qui [illegible]
Aeternum dominatur;
[illegible] querulae [illegible]
Hoc votum [illegible] et [illegible] Te.
Ut [illegible] augurio [illegible],
Qui carmen colit et canit.

Alae Tridentinae Pridie Non. Dec. 1879.

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D.

IOANNI IACOBO DELLA BONA

EPISCOPO TRIDENTINO ET PRINCIPI

XIV KAL. APR. ANNO 1880

REGIMEN SUÆ DIŒCESIS CAPESSENTI.

ODE

Carpentis volucres cursibus æmulans
Horrendos nivibus cum superaveris
Montes, perbreviter sistere congruit
Isarchi prope marginem.

Amnis dum properat lumina vertere
Festina ad sobolem jam Tibi traditam;
Hæc, quamquam geminis prædita vocibus,
Uno Te studio colit.

Ad lævam populus cernitur artifex,
Qui ferro statuas cædere ligneas
Spirantes didicit, cordaque candida
Intactum genus Arcadum.

Torrentis strepitum despice Talferi,
Nec turbent animum murmura Passeris,
Non cautes Athesis, castraque fortia,
Prisci opprobria temporis:

Felix hæc nimium rupibus aspera
Apparet regio, quam fovet integra
Morum simplicitas, deserit impia
Nostri amentia sæculi!

Ut cursum repetas sibilus admonet:
Bauzanum saliens evolat obviam
Almo Pontifici, plausibus æthera
Lætis interea sonant.

Vallem trajiciens Præsulis ultimi
Longinquis benedic montibus arduis,
Claris Euganeis, et gregis extimis
Quos Titam prius excitat.

Pastor, ne pigeat mittere, deprecor,
Salve purpureæ sanguine Cœlicum
Terræ, quæ celebrem progeniem attulit
Æternum decus infulæ.

Urbem ne penetres quin loca dissita
Contemples memori corde recondita,
Qua mugit Clisius, Sarcaque decidit
Dulces ut videat plagas:

Te Ripæ celebrant cantica Najadum,
Arci Te Zephyri laudibus efferunt
Psallentes oleas inter et Inclyti
Deflendi tumulum Viri:

Præstans ingeniis Roboris oppidum
Applausus iterat, dum soror obsequens
Exultat pariter, textile sericum
Nectens egregia manu.

Ast rhedæ accelerant, metaque tangitur ;
Dant turres sonitum, fulmina concrepant,
Astant innumeri, civica Munia
Præcedit sacra Dignitas.

Expletis placide ritibus, Unici
Intrato Domini limina, Pontifex,
Ut sanctum Vigilis Martyris osculum
Divis imprimas ossibus.

Hoc templum, veterum gloria Principum,
Impellit, queritur, grandia prædicat!
Te voces moveant, mi Bone Pontifex,
Quas Christi domus edidit!

Ardenti superis Spiritus ignibus
Immensus Cathedram scandere præcipit:
O mirum! labiis molliter effluit
Divini eloquii melos.

Immotis oculis, oraque continens
Degustat populus mitis Apostoli
Verbum, ceu sitiens flosculus æstibus
Rorem vivificum bibit.

Sed flexis genibus turba fidelium
Inceptum Tibi dum fervida prosperum
Exoptat, benedic, ne gregis irritum
Votum cordibus exeat.

Qui condit vetulus carmina presbyter
Ut Christus faveat quærit, et Angeli
Loricæ et clypei tegmine protegant
Te missum pecoris Ducem.

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO

JOANNI JACOBO DELLA BONA

EPISCOPO TRIDENTINO ET PRINCIPI ETC. ETC.

QUI XIV KAL. DECEMB. MDCCCLXXIV

SEPTUAGESIMUM ÆTATIS ANNUM

ABSOLVIT.

ODE

Orbe dum toto celebrantur alma
Festa, quæ sacrant Vaticana Templa,
Nos decet lætos geminare plausus
Inclyte Præsul!

Gaudeo non quod hodie Altemannus
Sæculo quondam decimo secundo
Hoc Deo templum cathedrale fervens
Corde dicavit.

Pulchrior nobis remanet solandi
Causa, nam noster Pater et Magister
Explet annos prævalidæ senectæ
Septuaginta.

Spernit ætatem; statio remota
Nulla conterret, paveant remissi,
Prospicit summo studio saluti
Dulcis ovilis.

Si bidens errat loca per scelesta,
Devorat longi patiens laboris
Asperum callem, reduci desertæ
Gestit ovando.

Norciæ felix soboles! benignum
Spiritum Luschin docuit recessor,
Prævidens, credo, fore Te vocatum
Munus ad almum.

O pium lumen sapidumque terræ
Sal Tridentinæ, vigilansque custos,
Sancta, Te oramus, Superum potenter
Ut tuearis.

Quos capit duros animus labores
Molliat Flamen radians amore,
Augeat vires, simul atque acervos
Det meritorum.

Antequam jugi potiare regno,
Scandes et sedem redimitus altam,
O tener nostri miserere casus
Alter Aaron.

Nobiles semper meritos honores
Fas erit nostris labiis sonare:
Et dein Tecum dociles sequaces
Transfer ad astra.

DE MORTE

CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D.

JOANNIS IACOBI DELLA BONA

EPISCOPI ET PRINCIPIS TRIDENTINI

QUA ABLATUS FUIT XVI K. DEC. 1885.

ODE

Dum novos semper reputat labores,
Mitis indulgens domibus quieti
Præsul, ut vires renovet; repente
Corpore languet:

Illico venam resecat peritus
Doctor incassum: gemitu resultat
Limen: infirmus placido sopore
Lumina claudit!

O chelys mœstum modulare carmen
Euge quæ, Ingressum celebrans, canebas,
Corpore exutum recolens, dicatis
Laudibus effer.

Ante sacratum gelidum cadaver
Ora mordaces teneant: scelestus
Quisquis illudit tumide voraci
Morte perempto!

Maximum crimen nihili Parentem
Ducere, et famam Domini Ministri,
Quem dedit Christus, rabido et maligno
Carpere dente.

Exeant laudes animo, nec emptæ
Turpiter viles: referam notando
Cuncta summatim, breviterque tangam
Magna volatu.

Hic pius vere, patiens, benignus,
Pœnitens, orans, vigilans, laborans,
Filius Summum venerans Leonem:
Cerne jacentem:

Nobili et pulcra simili corona
Fulgidus Christi solium tremendum
Præsul accessit, meritis lucratus
Prœmia digna.

Alæ Tridentinæ, XVI K. Dec. 1885.

DE XXV ANNIVERSARIO

REVERENDISSIMI EPISCOPI

IOANNIS NEPOMUCENI TSCHIDERER

A GLEIFHEIM

QUI III NON. DECEMB. ANNO 1860 MORTEM OPPETIIT.

HYMNUS.

Impellit veterum fervida charitas
Ut scribam: tumulum Præsulum visitans
De quinto memini transitus integri
Lustro Pontificis mei!

Ne marmor frigidum contegat inclytum
Nomen, nec pereant gesta micantia,
Carmen, quod modulor, pectora civium
Mœstum dulciter insonent.

Ex busto rutilat mirificum jubar,
Quod, fugans tenebras, pandit olympicum
Mortali imperium, dummodo semitis
Defuncti probus hæreat.

Præstantem duplici spiritus ordine
Te vidi stabulum pascere mysticum:
Dum caris ovibus consulis impiger
Immites cohibens lupos.

Sed primum sibimet providus, omnibus
Curabat studiis, ne maculæ vel leves
Pollutum facerent, fraudeque Dæmones
Tristi ne caperent eum.

Jejunans domuit blanditias gulæ,
Et cautus labiis addidit ostia,
Ne verbum minimum decideret malum:
Hæc summi probitas Viri.

Antistes micuit splendidus unice
Virtutum merito: maxime egentium
Misertus lacrymat deficientibus
Si quando æribus ad manum.

Ut sol vivificans dissipat horridas
Assurgens tenebras, pectus Episcopus
Nostrum sic radiat lumine cœlitum
Sanctis fulgidus ignibus.

Altorum videant culmina montium
Torrentes, hominum labra silentio
Arcentur, teneris cordibus antequam
Nomen Præsulis effluat.

Alæ Tridentinæ, K. Dec. 1885.

DE MORTE EMINENTISSIMI ET CELSISSIMI

CARDINALIS

FRIDERICI PRINCIPIS SCHWARZENBERG

PRAGENSIS ARCHIEPISCOPI ETC. ETC.

QUA VINDOBONÆ FUIT CORREPTUS

VI KAL. APRIL. ANNO 1885.

ODE

Germani populi plangite Principem;
Hunc quondam coluit læta Iuvavia,
Sed multis lacrymis funera tristia
Persolvit modo Præsuli.

Quæ Pragæ celebris pavit Ovilia
Sancte, quæ sapiens fervidus imbuit,
Omnesque antevolans tramite Golgothæ
Pigrum quemlibet excitt,

Deflent ad tumulum Præsulis optimi:
Mœrentes animo cernis Episcopos
Augusti Imperii, quomodo Presbyter
Et fletu madeat pari;

Almi nam placido spiritus exitu
Insignis meritis occidit Ordinis
Spectandum decus et gloria maxima,
Dilecto procul a grege.

Conventus dominans, legibus omnibus
Præfectus, moderans vox proba prædicans
Servat perpetuo muta silentia,
Atratas Aquilas levet.

Romani Proceres, purpureus chorus,
Decessit senior, vanuit aureus
Fulgor, qui columen tristibus affuit,
Tabescant gemitu gravi.

Stirps antiqua potens, claraque sanguine
Scito, quod pietas, qua micuit recens
Elatus, tenebris contegit omnium
Heroum meritum vetus.

Famam vix obitus percipit auribus
Cæsar, cum subito Regia personat
Lamentis quasi mors horrida sæviat
Altam in cæsaream Domum.

Luctus dum stimulis pectora confodit
Decretum recreans Iudicis ultimi
Defunctum pretio munerat Ætheris,
Æternumque animam beat:

Christus sic humiles erigit, edocet
Qui multos rutilat desuper igneum
Solem, Pontifici qui favet integro
Cœli jungitur Angelis.

Alæ Tridentinæ III. Id Ap. 1885.

EXCELLENTISSIMO ET PRÆCLARISSIMO

DOMINO DOMINO REVERENDISSIMO

ALOYSIO E NAZARIS

EX COMITIBUS A CALABIANA

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI ETC. ETC.

QUINQUAGESIMUM SACRÆ ORDINATIONIS ANNUM

III. KAL. JUN. 1881 PERAGENTI.

ODE

Plausus Insubriæ murmure duplicat
Alpestris Rabii lympha suaviter,
Qua sanus vegetus, Præsul amabilis,
Nescis pondera temporis.

Quod raro dabitur, Primus et Ultimus
Ut lustrum decimum cerneres Ordinis
Concessit! Populus carmine publico
Numen laudibus efferat.

Quot Jacob rapidos Spiritus Angelos
Per scalam vario prodidit impetu
Elatos, tua tot millia munerum
Insigni merito nitent.

Matronæ similem prodigio Petri
Ereptæ tenebris mortis, egentium,
Detersis lacrymis, turba famelica
Te patrem vocat optimum.

Levitis Domini trames ad æthera,
Christi Præsulibus lumen et inclytum
Exemplar! redeunt Te duce et auspice
Divi tempora Caroli.

Cœli Clavigero gaudia comparas,
Hostes dum calicem luctibus horridum
Protendunt fremitu! talia carnifex
Jesus perpetrat effera!

Acturum memori pectore gratias
Templi marmorei limina scandere
Cœlestis pietas Te jubet, almaque
Lux nostro sacra Martyri:

Has tunc ædiculas visere spiritu,
Antistes, placeat: verba precantium
Hic cœlum penetrant: Rex bonus omnium
Pastorum faveat Tibi!

Ne montes pigeat linquere canticum,
Urbem magnificam si licet ingredi,
Dices Pontifici: Da veniam; senex
Lasso gutture concinit.

IN MARMOREUM SIMULACRUM

PRÆCLARI SACERDOTIS

ANTONII EX ROSMINI - SERBATI

ROBORETI ERECTUM

ODE

Qui dedit Busto lacrymas acerbo
Carmen ob signum modulatur: æstus
Deficit virtus; faveant senectæ
Pectora voci.

Inter abjecti monumenta sæcli
Phidiæ Thuscus renovavit arte
Mira sculpendo! Decorata signo
Mœnia plaudant!

Hic tuam vere faciem repostam
Mente, Rosmini redivive, cerno:
Te a novem gaudent coluisse lustris
Corda Magistrum.

Marmor advertens animus revolvit
Dira, quæ Fortis tulit, atque gessit
Sancta, quæ scripsit Sapiens verendus
Alter Aquinas.

Integrum vitæ minus heu pudicum
Scriptor evulgat, comitante falso
Nomine, infandis, odio premente,
Fraudibus usus!

Nec mora infesto sceleri: tremendo
Proditor lethum meditatur astu!
Fidus horrescit famulus, revelat
Crimen apertum.

Angelus mundi Pius obtegendum
Purpura sancta legit: ast protervi
Sedulo nomen laniare pergunt:
Jussus abire

Arce Cajetæ subito, requirit
Mutus insignes animi labores,
Inter electi comites eremi
Pace quiescit.

Sed celer luctus venit hora! Tristes
Undique adventant, trepidantque amici;
Ipse carorum gemitus refrenans
Lumina claudit!

Corpus Extincti tumulus recepit,
Spiritus lauro superum potitur...
Protinus Summi studia impetuntur
Turpibus armis!

Quamvis elati blaterent maligni,
Semper effulgens Opus emicabit,
Luce perfusum, velut inter astra
Phœbus Olympi.

Tempus hostili statuam minari
Dum potest cursu, Documenta nunquam
Corruent divæ Sophiæ peritis
Edita libris.

Civis ad Signum, rogo, siste, disce:
Nullus ignavis honor est: superstes
Pulcra virtutem Sapientis almam
Fama manebit.

SENESCENTES DOMINI MINISTRI

UT XIII KAL. NOV. 1885

Rev.mo Jacobi Freinadimetz

OLIM ARCHIDIACONI ET VICARII GENERALIS

MONUMENTUM INVISANT

EXCITANTUR

HYMNO

Cantius nobis lacrymata quinque
Lustra post mortem genii stupendi
Ducet: ut supra tumulum precemur
Ibimus Arcum.

Cæteri eventus decadum sereno
Prosperos vultu celebrent, coronent
Massico vitrum, lepido fragore
Euge resultet:

Nos ubi sacri cineres quiescunt
Mente devota Dominum rogamus,
Ut locum pacis tribuat beata
Mitis in urbe

Labe deterso, misero benignus
Quisquis in flammas precibus tremendas
Ingerit lympham, reseratque portam
Carceris atri!

Ne quis in crimen referat vetusti
Hoc iter cleri minime sinistrum,
Garruli abscedant, petulanter absint
Verba ferentes.

Tempus elapsum querulus propinquo
Nemo componat : violantur æqua
Jura dum confers : graviter nocebunt
Improba dicta.

Dedecent nugæ steriles precantem :
Hora solemnis fluat ad sepulcrum,
Corde sincero, tacitis labellis
Ossa colamus.

Utilem fundunt tumulo loquelam
Ossa : quæ mandant avido inseramus
Pectori, ut fiant manifesta nostræ
Regula vitæ.

« Diligat clerus pudibunda, vitet
« Otium, incumbat studiis, dolenda
« Perferat fortis, speciem dolosam
« Horreat asper. »

Dixerant : bustum tremuit ; per ossa
Pallidus currit timor, ac suave
Gaudium invadit docilis profunda
Viscera cordis.

Alæ, pridie Kal. Octob. 1885.

REVERENDISSIMO DOMINO

PETRO PAULO RIGLER

NATO VICI SARNORUM

III KAL. JULII ANNO 1796

VITA FUNCTO BAUZANI VIII IDUS DECEMBRIS 1875.

DISTICHA

Spectantes vitam lætos nos tollere plausus
Convenit; ad cœlum semita longa fuit:

Ast Præceptorem cernentes lumine cassum,
Occupat immensus tristia corda dolor!

Ille pius, prudens, humilis, pariterque pudicus
Et populo et Clero dulce levamen erat!

Præco sacer, Patrum Sanctorum exempla secutus,
Divum mittebant ignea verba sonum!

Prodere qui voluit Tibi miti arcana Ministro
Infundi novit balsama vulneribus!

Paulum Discipulis licuit deflere abeuntem,
Nos Petri ad tumulum plangere amare decet.

Oh sapiens Doctor! memori tua pectora dicta,
Solatium miseris, condita semper erunt.

TRIDENTINI DISCIPULI MŒRENTES.

IN MORTEM REVERENDISSIMI

ANDREÆ STROSIO

ARCHIPRESBYTERI DECANI ROBORETANI

PROTONOT. APOST. ET SS. PRÆLATI DOMESTICI ETC. ETC.

QUA MEDIOLANI VIII KAL. OCTOBRIS 1882

CORREPTUS EST

DISTICHON

Te mœrens fessum vidi, o pede mœste viator
Adveniens, longa debilitate via!

Et remorari me conantem linquis amicum,
Italiamque petis? cur capis æger iter?

Præscia venturi Tibi mens hæc verba loquenti:
Fallitur expectans, non rediturus ero!

Effatum, durum menti ceu pondus inhæsit
Te divinantem vera fuisse puto.

Dum Mediolani sistit vis perfida morbi
Grandævi vitæ stamina pura secat!

Quis non illacrymet? Pastorum gloria vergit
Ad finem, sapiens occidit, astra videt!

Tollitur egregius miseris pater, inclyta virtus
Conqueritur flendo, et damna tremenda gemit.

Deseruit charam vir prudentissimus Urbem,
Huic similem nunquam læta visura Virum!

Deductum Italia Cives honorate cadaver,
Post lacrymis tumulo condite busta pio;

Scribite: Pastoris spolium mortale sepulcrum
Contegit; ast animam regna beata tenent.

Qui Te viventem cecinit, Te luget amicus
Defunctum, et tentat dicere triste Vale.

IN REVERENDISSIMI

ANDREÆ STROSIO

FAMÆ DETRACTORES

DISTICHA

Te vita functum, dum linguæ, care sodalis,
Obtrectant, nullus, qui tueatur, erit?

Lex erat antiquis: defesso parce sepulto!
Tu miser, infamis diceris hæreticus?

Quam puer hausisti Doctrinam, quam coluisti,
Prodere, quis credet, Te voluisse senem?

Mens elata Fidem temeret: sublata superbis
Hæc virtus, dabitur candida, pura humili.

Te semper vidi contemptam ducere vitam:
Cur ergo dicunt: Te tenuasse Fidem?

Setiger abjiciat, qui cœno volvitur: Ales
Integer et castus nonne fidelis erit?

Arbitror adjectam Tibi perfidiæ truculentam
Esse notam scriptis, edere quæ placuit!

An non in dubiis libertas? in reseratis
Unio? cur Christi deficit almus amor?

Surgite sublimes umbræ! devote Ioannes,
Et Benedicte! caput tollere ne pigeat!

Auscultant, lugent, fremitusque per ossa cucurrit!
Insontem clamant, quem premit ira ferox.

Solemnis pandit mœstissima pompa Fidelem,
Qua sancta tectum est triste cadaver humo.

Desinat obtrectans infandas fundere voces
Et gelidum marmor lædere mens trepidet.

XIV Kal. Febr. 1883

DE ANNIVERSARIO REVERENDISSIMI

ANDREÆ STROSIO

ROBORETANI ARCHIPRESBYTERI ETC.

QUI MEDIOLANI VITAM POSUIT

VIII KAL. OCTOB. 1882.

ODE

Triste momentum rediit dolendæ
Mortis infaustæ venerandi amici!
Vulnus in mœstis animis apertum
Gaudia noscit.

Pergo quo sancti cineres quiescunt,
Ora dum multis lacrymis abundant,
Candido serto tumulum corono,
Dulce tributum:

Dira non carpat manus ulla flores,
Non gelu lædat, vireant olentes!
Nam Viri extincti nitido micantis
Symbola pandunt.

Angeli pacis vigilent, sacrata
Ossa tutantes, solio beato
Spiritus donec remeet coruscans
Visere corpus:

Teque venturum rutilum corona
Nemini fas est dubitare: viva
Fervet in cunctis pia spes, senique
Lucida fulget.

Corde ceu vallis lilium, serena
Mente par cedro Libani giganti:
Quin superbiret celeber levavit
Se super omnes.

Texit occultans pudibundus alma
Dona, quæ Christus tribuit: Sodales
Inclytus nunquam latuit modestus
Abditus heros.

Civitas adhuc gemebunda multum
Præsulis magni celeri recessu!
Desinat luctus, recreet perennis
Gloria corda.

IN MEMORIAM REVERENDISSIMI

D. DOMINICI AMECH

A TRIDENTO INSTITUTI SURDOMUTORUM PRÆFECTI

V. ID. APRIL. 1880 VITA FUNCTI.

CARMEN

Morte correptum colimus Ioannem
Præsulem, cujus pietas Asylum
Præbuit vitæ, vacuo loquelæ,
Aure carenti:

Concidit Petrus! viridis juventa
Floruit cœlo! Domino vocanti
Ecce me, dixit, placidus quiescit,
Sidera scandit!

Alter, amborum meritis petitus,
Adfuit Rector, Pater, et Magister,
Tæda virtutum, decus atque imago
Vivida Petri:

Sancta mortales pudibunda virtus
Deserit velox! sonuit feralis
Hora migrandi! silet heu loquenti
Qui docet artem!

Dum tacet morbo labium, superna
Voce cum Christo loquitur beate
Spiritus! Fidens abiit precando
Vulnera sancta.

Vade! sed mersus pelago supremi
Gaudii, nostri, miserans, memento:
Charitas grato Tibi ponit imo
Pectore bustum.

Trid. Episcopalis Surdomutorum Familia.

A. R. ET PRÆCLARO

Domino Joanni Bertanza

L. SACERDOTII ANNUM

EXPLENTI

ODE

O chelys festum mihi prome carmen:
Nam dies surgit valido Joanni,
Qui sacri lustrum decimum Ministri
Lætus adimplet.

Splenduit fulgens similis diurnæ
Lampadi in templo pietate clarus,
Sancta dilexit, voluit decora
Mystica Christi.

Tradidit multis monimenta, grandem
Edocens artem, sapiens magister,
Ora, qua, intenti populi tenentes
Auribus astant.

Magnus orator cathedris potitus
Terruit tristes, trepidos levavit.
Ad pedes Christi querulos benigne
Dulcis adegit.

Spiritu fervens ovibus luporum
Ore discerptis lacrymans adesse
Pergit humanus, teneroque corde
Vulnera sanat.

Vividus Panis toties comesus
Si fuit radix generans favores
Coelicos, Summo benedic Datori
Laude perenni!

Mente qui Christum colit, atque jussa
Qui facit cœli docilis pudicus,
Impetum vincens aquilæ volantis,
Scandet ad astra.

Gratulans mittit senio laborans
Hæc Tibi æqualis, Dominum precando,
Ut pius magno numero dierum
Providus afflet.

Alæ Idib. Julii 1884.

REVERENDISSIMO

D. D. JOANNI BAPTISTÆ ZANELLA

S. M. M. ARCHIPRESBYTERO

PROTONOTARIO APOST. ET PRÆLATO DOMESTICO

S. S. P. M. LEONIS XIII. etc.

QUI X. KAL. AUG. ANNO 1882

QUINQUAGESIMUM ORDINATIONIS ANNUM

AUSPICATO PERAGIT

GRATULATIO.

Inter plaudentes adsum grandævus amicus;
Gratulor, et tremula carmina texo manu.

Cur non exultem? Tu vasto in gurgite rarus
Exples Presbyteri lustra beata decem!

Lætus præteriti si cernas temporis ævum
Apparet meritis vacua nulla dies.

Claram Evangelii tua gestat dextera tædam,
Integra sub sancta lampade vita fluit!

Sacrificans pinguem quoties accedis ad Aram
Angelus æterni crederis esse Dei.

Pulpita scandisti toties; plebs ora tenebat,
Dum Tu dicebas mystica verba docens.

Cor vigilans humilis tenero sub pectore condis,
Ut dulcem pueris tradere possis opem.

Lavasti infantes Divo Baptismate, magna
Coeli parturiens agmina pura solo.

Tu peccatorum solvisti millia centum
Noxis permiscens fletibus ipse tuos.

Tersisti occultas lacrymas humanus egenis
Qui una Te Patrem voce colente vocant.

Portasti infirmis veniam et mysteria Christi,
Afflictis pacis munera Sancta Dei.

Dum functos homines, ceu bruta animalia, linquunt
Excessos vita mente precante juvas.

Candelæ similis, quam ignis consumit in Ara,
Per multos annos fulgida vita volet!

Quos mitto incultos Tibi, comiter accipe versus:
Hibernos flores cana senecta gerit.

XII Kal. Aug. 1882

DE MORTE REVERENDISSIMI DOMINI

IOANNIS BAPTISTÆ ZANELLA

ARCHIPRESBYTERI

S. MARIÆ MAJORIS TRIDENTI ETC. ETC.

QUA FUIT CORREPTUS X. K. J. ANNI 1884.

Disticha

Ora rigo fletu, gemitus in verba profundo,
Dum cor dilectos cernit abire suos.

Te luctantem alias vidi cum morte propinqua,
Parcere sed forti debuit illa Tibi.

Nunc annis fractus decumbis præda laborum,
Ævum Te vexat viribus invalidum.

Suppliciter Cives Christi Mariæque fatigant
Aras, nequicquam vota dicata Deo.

Tecta novella Tibi linquendi personat hora,
Parca secat stamen, spiritus astra tenet!

Agmina, quæ coluit, cœlestia magna Tridenti
Excipiunt socium, sertaque dant animæ:

Doctus Jacobus, probus insignisque Joannes
Lætantes plaudunt, et Benedictus ovat.

Pastorum Princeps devoto scamna Fideli
Comparat, ut fulgens desuper astra micet.

Pulcra luce nitet! nam Divi jussa Magistri
Perfecit gaudens, edocuitque bonum.

Perpetuo exultat, quia se despexit, et ipsum
Æternæ patriæ nobilis ussit amor.

Interitum pueri plangant mœstæque puellæ
Deliciæ Extincti, pulpita, templa, domus.

Tota dolens hodie vestes Urbs induat atras,
Illius occubuit gloria, magnus honor.

Exanimis sanctam Spolium comitetur ad Ædem
Quilibet: injustum est deserere exequias.

Stet tumulum supra titulus: Requiesce cadaver
Pastoris: quisquis discat amare pie.

Die Nativitatis D. N. J. C. 1883.

DE MARMOREA EFFIGIE

JOSEPHI CIOLLI

RIPAE ARCHIPRESBYTERI BENACENSISQUE DECANI

XV KAL. APRIL. 1877 VITA FUNCTI

AB ANDREA MALFATTI SCULPTA

ET MAGISTRATUS URBIS DECRETO

IN ÆDICULA S. ROCHI LOCATA.

ODE

Post tot eventus rigidos imago
Cara Pastoris nitet in Sacello!
Gaudeat tellus, lacus unda plaudens
Festa resumat!

Lilio crevit similis recenti
Abditus, fragrans: vepribus dolenter
Heu nimis cæsus! patiens malorum
Extulit altum

Golgothæ signum: petitur sagittis
Iura defendens animo tenaci;
Pugnat, occumbit, meritoque cingit
Tempora lauro.

Unde Te sculptum videant ovantes
Accolæ Ripæ: pavidis ocellis
Cernat infensus: Patefac Te ab astris
Mitis in omnes!

Parvulum Saxo tribuunt stupendo
Huic locum Cives memores jacentis
Maximi Infantis stabulo patenti
Psaltis in Urbe.

Integri in Rochi facies serena
Æde consurgit; sapiens Beatus
Depulit morbos, domuit furores,
Vicit Avernum.

Non secus Pastor vigilans sategit!
Publicum fanum monumenta Ripæ
Colligat: marmor radians perenni
Luce decoret.

Alta, quæ impendit capiti, rotunda
Arx docet, gratum populi fuisse
Te patrem semper, minime furentem
Ense tyrannum.

Mille, quæ rident propius, superbæ
Concinunt laudes oleæ Magistro,
Qui probe vivens monuit, loquendo
Pectora fregit!

Civium turbæ venient frequentes
Huc, genu flexo recolent Decanum!
Excidant nunquam teneris benigna
Cordibus ora!

REVERENDISSIMO D. D.

ALOYSIO GENTILINI

DECURIONI CALAVINENSI
RELIGIONIS SCHOLARUM INSPECTORI
ECCLESIASTICO CONSILIARIO
ŒNIPONTANI ET VINDOBONENSIS CONSESSUS LEGATO
NUPER A LEONE XIII P. M. CUBICULARII SECRETI
HONORE INSIGNITO ETC. ETC.
QUI IV. ID. OCTOB. ANNO MDCCCLXXXIV
L SACERDOTII ANNO IAM EXPLETO
SACRUM SOLEMNITER CALAVINI PERAGIT,
SUBJECTUS CLERUS GRATULATUR

HYMNO

Gratulatores radiet supernum
Lumen! ut clari liceat Decani
Mente sincera meritis stupendis
Promere carmen.

En lacus, colles, apices acuti
Gestiunt, rident oleæ virentes,
Castra, multorum lacrymis rigata,
Læta videntur.

Quisque Te cernens scabra post pericla
Dulciter sontem, grave dum senectæ
Tempus impellit, benedicit alto
Ore Tonanti.

Navigas rarus scopulos minaces
Inter et syrtes, pelagus sodales
Barbarus sævis miseros vorando
Fluctibus hausit.

Sospitem Christus voluit Petraltæ
Inclytum Nato similem Beato,
Qui scholæ sanctas dederat palestras
Horrida passus.

Cantio Te æqualem populi vocabunt,
Diva quem cœli penetravit ardens
Charitas, plebem docuit, viamque
Pandit ad astra.

Membra Tu lugens miseratus ægra
Arte sublimi relevas medendo;
Arabes sancti tribuere possis
Pellere mortem.

Sæpe legatus subiens supremi
Iuris Excelsas Cameras vovendo
Protegis justum, studio favoris
Semper abacto.

Ille qui templus requievit Arci,
Corde qui firmus tenero Te amavit,
Mitis exultat speculans LEONEM
Te decorantem.

Gratulabundos, humiles, colentes
Audiat noster pater et magister:
Plurimos Tibi placidos per annos
Fausta precamur.

Sacerdotes Decuriæ.

DE MORTE

R. D. DONATI MALOSSINI

A PRANSO

IN LUCEM EDITI VI KAL. NOVEMB. ANNO 1783
SACERDOTIO AUCTI XII KAL. MAJ. ANNO 1806
QUI XVII KAL. APR. 1885 DIEM SUPREMUM OBIIT.

Ode

Cum faci desunt alimenta, lumen
Pallidum languet, titubat, peritque:
Transeunt nostræ pariter dolenda
Tempora vitæ.

Næniæ tristes resonent: vetustus
Occidit Pransi domitus Sacerdos
Viribus morbi minime, sed ævi
Pondere pressus!

Grande Cornari monitum secutus
Sobrius vixit, reprimensque gulam
Respuit semper onerans minútal,
Dulce venenum.

Temperans iram, juvenilis æstus
Impetum frangens, domuit severe;
Quidquid insanum potuit nocere
Horruit asper.

Rura præponens fugiebat ampla
Quælibet cautus loca: pax ab istis
Exulans, parvis domibus perennis
Insidet æqua.

Sana mens sanos animavit artus;
Nam, licet centum numeraret annos,
Constat, augustam cecinisse Missam
Voce sonora.

Gentis humanæ, spatio stupendo
Temporis, stultos meditans conatus,
Magna conspexit, pedibusque trita
Sceptra superba!

Sæpius vidit rapidas procellas,
Quæ Petri navem feriunt scientem
Posse quassari, minimeque sævo
Æquore mergi.

Nec miser! tantis oneratus annis
Lætus, æqualis volucri exeunti,
Avolat terris, superatque felix
Spiritus astra.

Sæculum vecors generans inertes
Disce: contentus fruitur diebus
Frena qui gulæ statuit voraci
Numen adorans.

Alæ Trid. XII Kal. Apr. 1885

ADMODUM R. D. FRATRI

JULIANO

AB ALEXANDRIA STATIELLORUM M. O.

QUI VERONÆ DIE S. BERNARDINO SENENSI SACRO

ANNO 1883

QUINQUAGESIMUM SACERDOTII

EXPLET ANNUM

ODE

Buccinis vates celebrent feroces
Horrida pugna reduces: canentes
Attamen lauros memorent paratas
Sanguine fratrum.

Te meum plectrum, Iuliane Frater,
Grande Francisci decus atque puram
Gloriam blande resonat: modeste
Suscipe laudem.

Obsequens, pauper, docilis, pudicus,
Abditus vitam peragis dolenter
Pœnitens longam, minime labori
Parcere quærens:

Exprimis Martham simul et Mariam
Spiritu et nervis! gemina corona
Cingeris quando Dominus vocabit
Te seniorem.

Mira res! lustrum decimum superni
Ordinis comples! pia tot sacrata
Quis geret? nulla vice quis dicatæ
Defuit Aræ?

Inter immensum numerum natando
Tu petis ripam! reliquos aquarum
Gurges immergit, sepelitque cruda
Unda furentes.

Ergo lætantes hodie Senensis
Dum pie Sancti geniale Festum
Egimus, Christo decet universos
Pendere grates!

Huic pares ad Nos veniant frequentes!
Visa tunc Nobis scapulis Beati
Magna Francisci Vaticana Templa
Fulta manere.

F. S. Minister Provincialis.

IN PRIMUM MISSÆ SACRIFICIUM

MODŒTIÆ VII. KAL. OCT. 1881 OBLATUM

A RR. DD. ALOYSIO OGGIONI ET DOMINICO CAMPONOVO

SOCIIS CONGREGATIONIS FILIORUM MARIÆ.

Præconium.

Exultent animi, geminentur gaudia! summæ
Hora nobis dulcis lætitiæ sonuit.

Ecce duo fratres, queis est imposita dextra,
Ascendunt aram, munera sancta ferunt.

Ut sitiens cervus montanas expetit undas,
Sic vestra optabant fervida corda finem.

Quis dubitet? cineri dat grande Ecclesia munus:
Hoc Domini trepidans Angelus ipse pavet!

In verum Christi datur infinita potestas
Corpus, et arcanum subditur imperio.

Effatum Jesu permagnum! ait: Ite docete:
Cœnatusque suis tradidit ut facerent.

Vos Samaritani fœdissima vulnera cordis
Missi ad siccandum, fundite vina pie,

Infirmos oleo conspergite: tempore vero
Nostro vos mundi cruda manet rabies.

Quare serpentis prudens vigilantia mentis
Sit, candorem vos blanda columba docet.

Clara ut flamma nitet sublimi in vertice montis,
Vestra sic et virtus lumine pulcra micet.

Estis sal terræ, mentes condite, saporem
Ut cœli pietas omnibus exhibeat.

Qui erudiunt multos, hoc ne mente excidat unquam,
Fulgebunt inter gaudia perpetuo.

Et nunc fidentes, insanum arcete timorem,
Aram scandite, vos Virgo Mater comitat.

Vos fratrum Alensis domus hæc admittere vota
Ne pigeat: loquimur grata hilarante die.

REVERENDO DOMINO

JOANNI MAURI A MŒDETIA

CONGREGATIONIS FILIORUM B. V. MARIÆ SODALI

QUI IN PATRIA IV KAL. AUG. ANNO 1882

PRIMUM MISSÆ SACRIFICIUM

DEO OMNIPOTENTI OFFERT

Distica

Quo Divus Pastor sacta Te voce vocavit
Pervenis incipiens munus apostolicum.

Sacra manus capiti est devote imposita, liti ·
Sunt digiti, ac Præsul jussa dedit: celebra.

Quam pulcrum fulget latitans in corde Ministri
Signum, quod supra cuncta creata levat!

Est donata Tibi duplex arcana potestas
In Christi carnem, ac mystica membra simul.

Angelicis humeris est formidabile pondus
Quod gestas: Fac ne te grave calcet onus.

Sanctæ doctrinæ custodem Te decet esse,
Ut sternas populo semper ad astra viam.

Integra sit, clamat Dominus, pia vasa ferentis
Vita, nec impura sint violanda face.

Presbyteri exemplum format mores aliorum,
Tu cave ne fratri scandala des misero.

Attamen haud paveas: fragili diffide vigori,
Ora, plange dolens, deprime, fide Deo.

Illud Bernardi memora: Te sperne nocentem,
Ullum ne spernas, sub pedibusque jace.

Sic fies terræ sapidum sal; sic domus almæ
Virginis insignis gloria, magnus honor.

Hæc Tibi collegæ gaudentes fausta precantur,
Quæ puri tenerum pignus amoris erunt.

Alæ Tridentinæ VI Kal. Aug. 1883.

Sodales.

REVERENDO DOMINO

IOSEPHO SIMONINI

QUI ALÆ TRIDENTINÆ ANNO 1886

IN EPIPHANIÆ SOLEMNITATE

PRIMAM MISSAM CELEBRAT

Ode

Stella, quam mirans Oriens nitentem
Creverat, lectos Proceres beatos
Duxit ad caulam Domini gementis
Ut luat Orbem;

Te Sacerdotem similis superna
Lux agit, divum novus ut Minister
Offeras Christum trepidus pavensque
Castus ad aram.

Nec Magis solum patuit Redemptor:
Unda Jordanis metuit potentis
Vocis oraclum; laticemque in alma
Massica vertens.

Horridam spinis animo tenaci
Semitam ingresso faveat benigne
Qui vocat parvos, humilesque tollit,
Mœsta coronans.

Perfer, obdura: manifestat omni
Se Deus tristi, querulo, dolenti:
Gaudium cordis renuit superbis,
Angor adurit.

Scande divinum patriæ secundæ
Mitis Altare; et Domino Universi
Offer Immensum, pretio stupendo
Omnia vincens.

Munera a Sanctis hodie tributa,
Nobis et cunctis cumulum bonorum
Invoca supplex; requiem Parenti
Lumine cassæ.

Irruant nunquam scelerata dicta:
Missa sit finis studii! cruenta
Morte sunt sensus animæ pejores
Turpiter atræ.

Plura ne attexam: precor ut novello
Sacra sint semper paria et decora:
Et cave ne usum miserum sequatur
Dirus abusus

Alae Trid., Trid. Non. Jan. 1886

IN ANNIVERSARIUM

Simonis Ex Cresseri

DE PROCERIBUS IMPERII ETC. IN CASTRO PETRÆ

IV. KAL. SEPTEMBRIS ANNO 1880

DEFUNCTI.

Ode

Dum sui flentes iterum parentant
Viso dilecti tumulum, virentem
Collocans mœstus lacrymanda supra
Marmora florem.

Ortus illustri genere a tenella
Stemma præclarum cupiens juventa
Maximo nisu decorare, vita
Præstitit omni.

Pertinax summis studiis vacavit
Execrans nugas, veneranda Christi
Signa præponens, dapibus supernis
Corda levavit.

Cæsaris jussu rigidum secutus
Munus austeræ Themidis, benignus
Fortis et rectus coluit severa
Jura fororum.

Copula diva sociatus almæ
Virginis, sponsus sobolem venustam
Pavit exemplis, simul et suavi
Imbuit ore.

Solvit heu Sponsæ miseranda justa,
Funera et luctus iterata tristes!
Inter immensas placidus ruinas
Numen adorat.

Ictibus multis cecidit petitus,
Hausit horrendi calicem doloris
Sed Fides verbum vetuit querelæ
Damna ferenti.

Sorte conventum subiens Viennæ,
Œniponti dein celebri palestræ
Doctus indulsit, micuit disertum
Nestora vincens.

Nunc tacet gratum labium in sepulcro,
Possidet tabes oculos inanes!
Ast reformatum meritæ coronæ
Gloria cinget.

Qui parem quærit nequit invenire
Sæculi talem patriæque lucem:
Hunc typum fregit Dominus Creator
Igneus ira.

DE DIE ANNIVERSARIO

COMITISSÆ ANTONIÆ MARZANI

ORTÆ AB OPTIMATIBUS EX MENGHIN

QUÆ VI. ID. APRIL. ANNO 1882

ALÆ DIEM SUPREMUM OBIIT.

DISTICHA.

Annua desertis memorabilis hora recurrit,
Qua insignis mulier cepit ad astra viam.

Iam satis ursistis lacrymis fatale sepulcrum,
Desinite elatam voce vocare piam!

Dum pura Extinctæ comparent tempora vitæ
Et mors ceu somnus, quem dedit ipse Deus,

Tristia solliciti vanescant signa doloris,
Præcipit hoc Paulus, sic docet alma Fides.

Abdita, pallenti violæ par, Filia crevit,
Deliciæ stirpis, patriciæque Domus.

Solemni ritu dilecto nexa marito
Virtute ornavit tecta novella sua.

Obtinet exultans maternum Sponsa decorem,
Sed circa thalamum parca tremenda furit!

Vidimus ægrotam sancte perferre molestam
Febrim, quam contra pharmaca nulla valent.

Cum prope lux aderat, majoraque Sabbata Christi
Fulgebant: blandi transitus hora sonat!

Non hic terrores, ridet pax, Angelus astat,
Lugent præsentes, ægraque lenis abit!

O mors! te viles paveant, qui diva caducis
Postponunt; hæc est fortibus alta quies.

Et Tu, nunc felix, splendenti cincta corona
Desuper assidue protege cara tuos.

VIII. Id. Apr. 1883.

IN OBITUM

Joannis De Pretis a Cagnodo J. D.

OLIM IN SUMMA CURIA ŒNIPONTANA CONSILIARII ETC.

ELEGIA

Plangite Pierides; fatum lacrymabile cunctis!
Fas patriæ summo solvere justa viro.

Tristis funereum lyra mœrens incipe carmen:
Qui temnit patriam temperet a lacrimis.

Atropos immitis! citius cur stamina cædis
Magnanimæ vitæ? cur malefida furis?

Nullus natalis terræ flagravit amore
Fervidius; nullum purius ingenium.

Suspirat Themis tanto cultore remoto,
Ac pallens vultu sacra tegit manibus.

Libertas clamat: mi propugnator honeste
Parce precor! meritum post tot acerba vides!

Sane experta fides! data sunt promissa superne
Blanda tibi, ut mittas libera verba minus:

Ast animum potuit fulgens spes vincere nulla,
Romana indomito pectore corda gerit.

Extortus patria videt exul multa, laborans
Ingenti ærumna; maxima probra vorat.

Te dulcis moriens inter suspiria frater
Advocat incassum! Iura redire vetant!

Interea semper scelerata calumnia fundit
Ore venenato crimina ficta suo.

Ast invicta manet mens grati conscia recti,
Et falsas voces spernere tuta solet.

Te truces oculi spectarunt, dictaque mille
Hausere hostili mente, nocente tibi.

Ut feriunt cautem fluctus, sic dura Joannem
Ira: sed in votis parcere semper erat.

Nunc placida, morbo confectus, morte quievit,
Æterna ut liceat cingere fronde comam.

Si patriæ fines delectant, nescia vinci
Miremur nostro pectora sacra solo.

Dicturi extremum vale Tridentum undique cives
Conveniunt: functum tollere ad astra juvat.

Canities tenuit ne lamentabile funus
Flens sequerer: tumulum languida musa colit.

FIDUS AMICUS

DE XXV ANNIVERSARIO PRÆCLARI MEDICI

ALOYSII DE PRETIS A CANIODO

QUI NONIS MARTII ANNO 1861

DIEM SUPREMUM OBIIT

ODE

Corda quæ Christus sociat, perenni
Vinculo dulci remanent ligata:
Stricta non ævum, neque mors amara
Vincula frangunt.

Labitur lustrum decimum; tremenda
Tunc lues multos populos metebat;
Strata plangentis, lacrymas secantes
Visimus una.

Splendide lucens pietas amicos
Sola constantes genuit, vicissim
Pectus incendit studium colendi
Se sine fastu.

Sæpius doctum medicum recordor,
Qui tener mœstos animos fovebat,
Arte qui infirmos subito, gementes
Ære levabat.

Eripit fato innumeros medendo:
Sed labor durus nimium diurnus
Atque nocturnus necat inscientem
Parcere vitæ.

Quinque viginti rapidi volarunt
Jam graves anni! interitum dolentes
Sic colant omnes, veluti fuerunt
Justa soluta.

Dissitus, multis cumulatus annis
Scriptor oblongum superare callem
Si nequit, mens adveniet sodali
Dedita caro.

Carmen inscribam tumulo: Benignos
Contegit saxum cineres: rogate:
Qui necem fortis domuit, quiescit
Victima curæ.

Alæ Trid. IV N. Mart. 1886

EPIGRAMMA

THEODORINÆ VALERO

VICTORII ET THEODORÆ

NOBILIS EX GRESTI

FILIÆ:

QUÆ IN LUCEM EDITA
VII ID. MARTII ANNO 1873,
FATO EXTINCTA EST
III ID. AUGUSTI ANNO 1876

Parvula cœlestis divis socianda choreis
Dum terram linquis pectora nostra secas!
Si Christo placuit Divinum tollere Donum,
Ipse, rogant miseri, tristia corda levet.

Parentes.

INDEX

Præfatio

De S. Carolo Borromæo qui Alæ Tridentinæ divertit . . . . . pag. 1

In Transitum S. S. Pii P. IX . . . . . » 3

In Mortem CC. RR. Episcopi Benedicti Riccabona . . . . . » 5

Ad Celsissimum et R. R. Joannem Della Bona electum Episcopum Tridentinum . . » 7

Eidem regimen suæ Diœcesis capessenti . » 9

Eidem LXX^{um} ætatis annum absolventi . . » 12

De ejusdem Morte . . . . . » 14

De XXV° Anniversario CC. RR. J. N. Tschiderer . . . . . » 16

De Morte Em. Card. Friderici Schwarzenberg » 18

De L.° Sacræ Ordinationis anno RR. Aloysii Nazari Archiepiscopi Mediolanensis . . » 20

In marmoreum Simulacrum R. R. D. Antonii ex Rosmini - Serbati . . . . . » 22

Senescentes Domini Ministri, ut R. R. Jacobi Freinadimetz monumentum invisant, excitantur . . . . . » 25

De Morte R. R. Petri Pauli Rigler . . . » 27

R. R. Andreæ Strosio Archipresbyteratus XXV^{um} annum explenti . . . . . » 28

In Mortem ejusdem . . . . . » 30
In ejusdem famæ detractores . . . . . » 32
In Anniversarium ejusdem transitus . . . » 34
In Memoriam R. R. Dominici Amech . . . » 36
De R. D. Joanne Bertanza L.um Sacerdotii annum explente . . . . . » 38
De R. R. Joanne Baptista Zanella L.um Ordinationis annum peragente . . . . » 40
De ejusdem Morte . . . . . » 42
De marmorea Effigie R. R D. Josephi Ciolli » 44
De L.° Sacerdotii anno R. R. D. Aloysii Gentilini » 46
De Morte R. D. Donati Malossini . . . . » 48
R. D. Fratri Juliano L.um Sacerdotii annum explenti . . . . . » 50
In primum Missæ Sacrificium R. R. D. D. Aloysii Oggioni et Dominici Camponovo. » 52
In primum Missæ Sacrificium R. D. Joannis Mauri . . . . . » 54
In primum Missæ Sacrificium R. D. Josephi Simonini . . . . . » 56
In Anniversarium mortis Simonis ex Cresseri » 58
De die anniversario mortis comitissæ Antoniæ Marzani . . . . . » 60
In Obitum Joannis De Pretis a Caniodo . . » 62
De XXV° Anniversario Aloysii De Pretis a Caniodo . . . . . » 64
In Mortem parvulæ Theodorinæ Valero . . » 66

500387